BIBLIA LATINA (TEILBIBEL)
Österreich, Anfang 13. Jh.
Seite 6v
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26105
Copyright: Admont, Benediktinerstift



nas septem: immolauit uictimas suas. miscuit uinum: et proposuit mensam
suam: misit ancillas suas ut uocarent ad arcem et ad menia ciuitatis. Si
quis est paruulus ueniat ad me: et insipientibus locuta sum: uenite et
comedite panem meum et bibite uinum quod miscui uobis. Relinquite infan
tiam et uiuite: et ambulate per uias prudentie. Qui erudit derisorem
ipse sibi facit iniuriam: et qui arguit impium generat maculam sibi. Noli arguere
derisorem ne oderit te: argue sapientem et diliget te. Da sapienti occasi
onem: et addetur ei sapientia. Doce iustum: et festinabit accipere. Principium sa
pientie timor domini: et scientia sanctorum prudentia. Per me enim multipli
cabuntur dies tui: et addentur tibi anni uite. Si autem sapiens fueris tibimet
ipsi eris: sin autem illusor solus portabis malum. Mulier stulta et clamosa
plenaque inlecebris et nichil omnino sciens: sedit in foribus domus sue super
sellam in excelso urbis loco: ut uocaret transeuntes per uiam et pergentes iti
nere suo. Quis est paruulus? Declinet ad me. Et uecordi locuta est. Aque
furtiue dulciores sunt: et panis absconditus suauior. Et ignorauit quod
gigantes ibi sunt: et in profundis inferni conuiue eius. Parabole salo
monis filii dauid.

Filius sapiens letificat patrem: filius uero stultus
mesticia est matris sue. Non proderunt thesauri impietatis: iusti
cia uero liberabit a morte. Non affliget dominus fame animam iusti: et in
sidias impiorum subuertet. Egestatem operata est manus remissa: manus autem
fortium diuitias parant. Qui congregat in messe filius sapiens est: qui autem
[illegible] estate filius confusionis. Benedictio domini super caput iusti: os autem
impiorum operit iniquitatem. Memoria iusti cum laudibus: et nomen impiorum
putrescet. Sapiens corde precepta suscipiet: nam stultus cedit labiis. Qui
ambulat simpliciter ambulat confidenter: qui autem deprauat uias
suas manifestus erit. Qui annuit oculo: dabit dolorem. Stultus labiis
uerberabitur: uena uite os iusti et os impiorum operit iniquitatem. Odium sus
citat rixas: et uniuersa delicta operit caritas. In labiis sapientis in